



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

§. 3. Præcepta sunt facilia, suavia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

Gregor. ecce Pharisæus ad exhibendam abstinentiam, ad impetrandam misericordiam, ad referendas Deo gratias, oculum habet. Et quid prodest, sit tota civitas custodiatur; & unum foramen, per quod hostes intrant, relinquitur? Per unam superbiam portam omnia illa, de quibus se jactabat, effundebantur. Non affligit demonem, quod novem ex Dei præceptis observet, dum unum modò violes. Did. Nisi. D. 10. Pent. Pharisæus ille, qui in templum oraturus ascendit; civitatem mentis suæ quantâ munitione vallaverit, audiamus: *Jejunio his in Sabbatho &c.* Sed videamus, ubi insidiant hosti imminutum foramen reliquit; quia civitatem cordis sui per elationem aperuit, quam frustra per jejunium, & eleemosynas, clauserat. In casum munita sunt cætera, cum locus unus, ex quo hosti patet aditus, munitus non est. S. Gregor. mor. l. 19. c. 12.

Prophetam voci Domini non obedientem leo interfecit in via; nec sibi pepercit dinina justitia pro eo, quod aliis obediverat, cum in uno deliquit; cum omnia sunt facienda, quæ jubet. Sim. Cass. l. 5. c. 1.

Quodcumque dixerit vobis, facite. Joan. 2. 5. Prophetam voci Domini non obedientem &c. vide Superius hoc §. Ex Veteri.

Offendat in uno, factus est omnium reus. Jacobi 2. 10. Non eatenus; ut quasi pro eorum prævaricatione puniatur in Inferno; eatenus tamen, ut illâ in corruptionis mercede privetur, quam pro cæterorum conservatione habiturus erat in cælo. Richard. à S. Victore. l. de Verbo Incarn. c. 14.

Ex Patribus, & aliis.

Ergone ista sana tot membra non valent ad ejus vitam, & illud unum vulneratum valet ad ejus mortem? S. August. l. 1. de Bapt.

Plurimis licet signis, & miraculis, claruisset Moyses; ubi modicæ linguæ lapsus, expers terræ promissionis exiit. Magnum, & horrendum, mare ei viam præcludere non potuit; sed verbum unicum iniquè ab eo prolatum, velut murus aliquis, ei obstitit, nè ulterius progredi posset. S. Ephrem. de vitio linguæ.

§. III.

Præcepta sunt facilia, suavia.

Num. 1.

Testimonia ex Veteri.

DE ligno autem scientiæ boni, & mali, nè comedas. Gen. 2. 17. Posuerat Deus justum edictum in ligno: nec velut de re mala parentes primos ab esu ejus voluit abstinere; sed Dominus illa cognosci, & meritum obedientiæ in re modica fieri; ut æterna præmia sequerentur: quæ contempta tanto fuit majoris demeriti, quanto potuit facilius custodiri. Sim. Cass. l. 13. Luc. 23. Magna hujus præcepti facilitas est; sed dilecte, grave malum desidia est; facitque, ut facilia omnia videantur difficilia: sicut studiò, & vigilantia, etiam omnia ardua, & difficilia, facilia nobis fiunt. S. Chrysost. t. in Gen. hom. 14.

Polyanthea Sacra. Tom. II.

Cur præcepit vobis Deus, ut non comederetis de omni ligno paradisi? Gen. 3. 1. Constat, Deum concessisse Adamo, & Evæ, ut liberè vescerentur de omni arbore paradisi, excepta unâ tantum. Contra verò diabolus dicit, Deum omnem vetuisse. O impudens mendacium! hæc communior ejus tentatio, quâ homines à virtutis studio detarret; imò in virtutis, Deique ipsius, odium peccatores instigat: nimirum difficiliorem ostendere, quàm sit, Dei legem, jugumque portatu impossibile. Fernandus hic Sect. 3.

Ex cunctis animalibus universa carnis bina in duces Arcam. Gen. 6. 19. Difficile videtur præceptum; ut unus homo, & senex, venetur tam diversa animalia; tot volucres ex hac, & illa regione; tot ferocia animalia, leones &c. Qui subjuganda? Radix Hebrææ habet: *bina de omnibus ingredientibus ad te.* Facilis iussio; non animalia quærere, sed venientia non prohibere. S. August. de Civ. l. 15. non animalia capta intromittebat Noe; sed venientia, & intrantia, permittebat. Ad hoc enim valet, quod dictum est, *ingredientur tecum*: non scilicet hominis actu, sed Dei nutu. Lypoman. in Cat. sine fatigatione tua intrabunt. Sylveira c. 6. in Luc. 6.

Egredere de terra tua. Gen. 12. 1. Obedientia, & virtus, in facilibus rebus exercita, est quædam prælusio ad difficiliora. Abraham Deus multa præcepit leviora, antequàm jubere Isaac immolari. Ut egredere de domo sua. Ut nepoti suo Loth potiores terræ partes cederet. Gen. 13. 9. Ut pugnaret contra reges Assyriorum. Gen. 14. 15. Ut de illorum præda nihil sibi reservaret. ib. Ut se, & familiares suos, circumcideret. Gen. 17. 10. Ut filium Ismaelem cum matrè ejus Agar ejiceret. Gen. 21. 12. & alia: quæ, licet per se ardua, tamen, cum præcepto jugulandi filium unigenitum comparata, facillima videbantur. Tandem eò processit, ut ipsum, quem unice diligebat, unigenitum sacrificandum juberet. Gen. 22. 2. Mendoza in 1. Reg. 3. Annot. 2. Sect. 2.

Infans octo dierum circumcidetur in vobis. Gen. 17. 12. Ante octiduam vitæ usuram noluit Deus circumcidi infantem: quia periculum esset puero de vita, si statim egressus de utero matris circumcideretur. Lyan.

Non arabis in bove, simul & asino. Deut. 22. 10. Quàm Deus creaturas etiam vides curat! Quid refert, bovem asino ad aratrum jungi? Occurrit dubio Philo: quia non pollet paribus viribus, infirmiori consultur; nè eum fortiori contendens succumbat negotio. Si Deus tantopere curat bruta, ut nolit ea labore viribus majore onerari; durusne, & austerus, erga homines erit? Did. Nisi. fer. 6. D. 1. Quadr.

Latum mandatum tuum nimis. Ps. 118. 96. Ideò latum, quia tuum. Dominus dixit? hoc sufficit ad condimentum tineris, ad dulcorandas lacrymas, ad inaurandum saccum. Oliva t. 2. Strom. §. Latum mandatum.

Juravi, & statui, custodire justitiæ tuæ. Ps. 118. 106. Si merueret, non juraret: si trepidaret,

pidaret, utrum divina posset custodire iudicia, non eum iurjurandi statueret Sacramento. S. Ambros. hic Octon. 14.

Osculetur me osculo oris sui. Cant. 1. 1. Sancta Ecclesia, quot praecepta ejus praedicatione cognovit, quasi tot oris ejus oscula accepit. S. Gregor. mor. l. 14. c. 20.

Ex Novo, & Patribus.

Tollite jugum. Matth. 11. 29. Inquit Salvator; non impono, non gravo, non cogo, non invite vestris cervicibus ligo; sed praeparato, & offero: libertatem habetis, liberi creati fuistis. Inest vobis ratio discernendi: sub quo Domino laboratis agnoscitis: forte videtis & praemia. Nec forte ignoratis, quid a vobis exactor improbus exegit; qualia sunt praemia, quae speratis. Sim. Cass. lib. 7. c. 22. Suave jugum praeceptum amoris: nihil enim suavius cordibus, quam amare. Leve onus; quoniam juxta naturam conditam est, quod imponitur: minus enim oneratur noster imponit, quam portare possumus. Id. ib. Jugum ejus amor est: nihil amore suavius, quod Deus amat, & proximus. Onus, quod Christus imponit, penitus levissimum est; quando neminem gravat onere suo supra virtutem, & facultatem; supra debitum expediens, & necessarium; supra impossibile, supra consentaneum ipsi naturae. Id. l. 9. c. 28. Si jugum Christi suave est, & onus ejus leve; quomodo ait Matth. 7. 13. *intrate per angustam portam.* Et: *regnum celorum vim patitur.* v. 12. R. quod unum, & idem, est angustum, laboriosum, & grave, incipienti, imperfecto, & spirituale consolationem nondum experto; quod tamen latum, jucundum, & leve, est exercitato, perfecto, & habituali in bonis. Denique mandata, & consilia Christi, ex sua natura dulcia sunt, & levia; licet per comparisonem ad nostram fragilitatem, & pravitatem ad malum difficulter in principio impleantur. Dion. Carth. hic.

Jugum meum suave est. Matth. 11. 30. S. August. in Ps. 59. alia sarcina pondus habet; Christi sarcina pennas habet: nam & avi, si pennas detrahas, quasi onus tollis; & quod magis unos abtulisti, eo magis in terra remanabit. Quam exonerare voluisti, jacet, non volat; quia tulisti onus: redeat, & volat. Talis est Sarcina Christi: ferant illam, qui volunt; & invenient, quam levis sit, quam rapiens in coelum, & a terra eripiens. Sylveira hic q. 15. Jugum meum leve est, & sarcina mea levis est. Alia sarcina premit, & aggravat te; Christi autem sarcina sublevat te. Alia sarcina pondus habet; Christi sarcina pennas habet &c. Id. ib.

Omnis vallis implebitur. Luc. 3. 5. Christus colles aequabit vallibus; & obliqua diriget in rectitudines, & campos: quia omnes legis difficultates, & aequitates, convertet, Tertull. l. 5. contra Marcion.

Et descendens cum illis stetit in loco campestri. Luc. 6. 17. Turba, ob suam imperfectionem, & debilitatem, montem ascendere non valet, ipse in planitie ad eam descendit: nec enim a nobis plus exigit, quam quod facile, & suaviter, praestare possumus. Solum vult, turba ejus audiat. Sylveira hic. c. 6.

Implete hydrias aqua. Joan. 2. 7. Ut vacuae sint, non vult Dominus; ut impleantur, jubet Dominus: ut autem aqua in vinum vertatur, hoc facit Dominus. S. Bernardus l. 19. in parvis. Nihil mandat, quod quis nequeat praestare. Did. Niss. Polit. Coel. l. 8. c. 2.

Impleverunt duodecim cophinos. Joan. 6. 13. Ego autem non panis modo copiam, & multiplicationem, admiror; sed quod tantum, quae duodecim sportulae caperent, fragmenta superfluerunt; quod praeviderit, quantum essent consumpturi. S. Chrysost. hic. Nihil amplius superesse voluit, quam unde cujusque Apostoli cophinus expleretur: ne quisquam gravius oneraretur. Did. Niss. fer. 6. D. 1. Quadr.

Mandata ejus gravia non sunt. 1. Joan. 5. 3. Hinc erue: si leges Dei videntur rigidae, & mandatorum illius jugum grave; mentitur appetitus, qui hoc dicit; fallitur caro, quae conqueritur; nescit, quid dicat, concupiscentia: ratio enim, testis incorruptus, affirmat, onus ejus leve esse, & mandata ejus gravia non esse. Did. Niss. D. 4. Adv.

Levia Deus jubet, & in aeternum vivamus; & obedire negligimus. S. August. tr. 49. in Joan.

Difficultatem non natura praeceptorum, sed multorum solet secordia efficere. S. Chrysost. in Ps. 111.

Ala, Lem. Onus leve. Vel: *Aggravat, & allevat.* S. Bernardus ep. 72. Lex Christi onus est allevians, aut jugum liberans, similis pennis avium. Picinelli.

Num. 2.

Praecepta Deus juvat servare.

Germinet terra herbam virentem, & lignum pomiferum faciens fructum. Gen. 1. 11. Miris Deus terram pensionibus oneravit; ut hominibus, & brutis omnibus, de habitatione commodaret, quod pia hospes facit. Jussit sua cuique elementa ministrare. Cur tantis oneribus terram gravat? quomodo ea feret? Respondet S. Basilus in hexam. hom. 5. qui jussit, ut haec terra educeret, is ipse praestitit facultatem. Idque adeo verum est; ut etiam angelos terra ad imperium Dei produceret: nam si hoc juberet, facultatem facienda una praebere. Did. Niss. Sabb. post Cineres. §. 2.

*Dedit illi coram praecepta, & legem vi-
tae &c.* Eccl. 45. 6. Antiqua Biblia sic habent: *dedit illi cor ad praecepta &c.* q. d. dedit Moyse legem vitae, & disciplinae; dedit cor ad praecepta; id est, animum, ac robur, ut servare possit. Id. ib.

Sancta lex vocatur jugum, quod solet portari a duobus animalibus. Si te submittas jugo Domini, non incedes solus; sed Dominus in portando te sublevarit. Stella de contemptu &c. p. 2. c. 15.

Num. 3.

Praecepta Dei faciliora, quam hominum.

Deus puerorum circumcisionem praecipit. Gen. 17. 12. Pharaon submersionem. Ex. 1. 16. Quam leviora sustinent parentes, cum Deo obsequuntur; & quam immania, dum Aegyptiis inserviunt. Sub Dei legibus filios circumcidunt ad vitam, sub Pharaonis legibus filios generant ad funera. Naxera in Jos. 3. §. 17. Pra-

Præcipe Sacerdotibus qui portant arcam fœderis, die eis, cum ingressi fueritis partem aquæ Jordanis, stete in ea. Jos. 3. 8. Durum ad speciem præceptum: sed quid Pharaonis imperat? Ex. 14. 23. *Persequentes Egyptii ingressi sunt post eos, & omnis equitatus Pharaonis.* Durius, & periculosius est, marinis vorticibus se cœcâ temeritate objicere, quam fluviales undas Deo duâ tranare. Naxera in Jos. 3. §. 17.

Num. 4.

Præceptis Dei duriora sunt diaboli.

Quia fecisti hanc rem &c. Gen. 22. 16. *Immolaverunt filios suos, & filias suas demoniis.* Psal. 105. 37. Sola voluntas Abrahæ quàm Deo placuit! demon nullò saturari potest filiorum, & filiarum, sanguine Did. Nifs. D. 6. Pent.

Plurima sunt in libris Deuter, Levit, Exodi, Num. loca; in quibus Deus, cum populo leges proscripsit, aut cærimonias, passim ita pronuntiavit: *Ego Dominus Deus vestrus; vel Ego Dominus.* Causa est, quam S. Chrysost. hom. 6. in Acta tradit: per præcepta solum Deus, diabolusque, monstrantur. Et qualis quibus sit, leges eorum loquuntur. Deus enim ut est summè discretus, & mitis; etiam cum imperiosissimè mandat; superiora viribus nostris non præcipit. Verùm demon, cum sit ferrox; suos intolerabilibus oneribus obruit. Did. Nifs. D. 4. Adv.

Vade, & lavare septies in Jordane. 4. Reg. 5. 10. Quò auditò Naaman spernit remedium; & iratus patriam repetit. Cur id? nonne sæpe pro deliciis homines in fluminibus? abluuntur? nam ut quidam ex servis ejus dixit, *si rem grandem dixisset tibi Propheta, certe facere debueras &c.* Cur sis difficilis ad suave balneum; cum sciamus, Sacerdotes Baal pro illius cultu se propriò sanguine abluisse. 3. Reg. 18. 28. *incidebant se juxta ritum suum cultris &c.* Naaman, ex ex Dei jussione per os Prophetæ, mandatur se abluere in flumine; Sacerdotes Baal demonis impulsu se cultris dilacerant. Ita Dei mandato suavi pro sanitate habendâ voluntas humana renuit; & ad mundanum obsequium, etiam cum dolore, & cruore, facilius currit Sylveira c. 40. in Luc. 19.

Quicumque potum dederit uni ex minimis istis, calicem aquæ frigide tantum &c. Matt. 10. 24. De damone Job. 40. 18. *Ecce absorbevit fluvium, & non mirabitur; & habet fiduciam, quòd insuat Jordanis in os ejus.* Christus scypho contentus, demon nec fluviò. Did. Nifs. D. 5. Pent. §. 4.

Num. 5.

Præcepta Dei amanti facilia.

Diliges Dominum Deum tuum. Deut. 6. 5. Et rursum Sap. 6. 12. *concupiscite sermones meos, diligite illos:* quia lex non servatur, nisi ametur. Unde David Ps. 118. 167. *Custodivit anima mea testimonia tua, & dilexit ea vehementer.* Ubi ly & causalis videtur,

ut sæpe aliàs: custodivi, quia dilexi. Mendoz in 1. Reg. 3. 9. Annot. 3. Sect. 2.

Beatus vir, qui timet Dominum; in mandatis ejus volet nimis. Ps. 111. 1. q. d. quantumcunque Deo placere studeat; magis magisque placere, & servire, cupit. Did. Nifs. 2. fer. 2. D. Resurr. §. 4.

Quomodo dilexi legem tuam Domine. Ps. 118. 97. Dilexit legem, non timuit: quia per dilectionem, non per timorem mundanum præceptum Domini viros sanctos decet operari. Cassiod. hic.

Vineam suam locabit aliis agricolis. Matth. 21. 41. Christus respondet v. 43. *ideo auferetur à vobis regnum Dei.* Quomodo Christus Legem suam modò Regnum vocat, quam antea Vineam appellavit? Ei, qui non amat Lex Dei vinea est; in qua multum laborare, & sudare necesse est. Sed amanti Lex eadem Regnum est, in quo quiescat & lateatur. Ps. 149. 8. ubi de mirabilibus agit, quæ tempore Legis Evangelicæ futura erant, etiam prædixit fore: *ut reges alligarentur in compedibus, & nobiles eorum in mancis ferreis.* q. d. illos Evangelicis præceptis, tanquam vinculis, constringendos. Sed cur vocantur ferrea? Augustinus: si ferrea sunt, quàm diu timent; ament & aurea erunt. Did. Nifs. fer. 6. post in fin. §. 6.

Si diligitis me, mandata mea servate. Joan. 14. 15. Si diligitis Regem, custodite Legem: quoniam idè constituitur Rex, ut regat: nullus autem Rex justè regit, nisi Leges æquitatis edicat. Non igitur satis, Regis personam dilectionis oculò intueri; nisi lex ejus servetur in moribus. Sim. Cas. l. 12. c. 1.

Si quis diligit me, sermonem meum servabit. Joan. 14. 23. Nescit feriari dilectio, in actione tota est, ubi dilecti noverit veritatè; otio caret; acediam, & tædium, procul pellit: servat in memoria, servat in opere; qua de dilecti pendet arbitrio. Non examinat decretum, non discutit verbù; non pavitur tædium in sermone, non contradicit imperio, nec grave judicat: amarum in dulce vertit! qui veraciter diligit, difficile in facile trajicit. Sim. Cas. ib. c. 4.

Qui non diligit me, sermones meos non servat. Joan. 14. 24. Qui non diligit Regem, odio habebit & Legem; quam si aliquando servabit, non amore justitiæ, non formidine pœnæ: non amore Regis, quem non diligit, sed timore; quò sibi cavet, nè prævaricans tormenta patiat. Id. ib.

Facile omnia præcepta veniunt in effectum, quando gratia præstendit auxilium, & charitòs tenet affectum. S. Laur. Just. l. de Charit. c. 6.

Num. 6.

Amanti præcepta omnia unum sunt.

De fructu ligni, quod est in paradiso, præcepit nobis Deus, nè comederemus &c. Gen. 3. 3. Eva serpenti dixit, te jussisse, Domine, nè comederet de arbore vitæ; & non tangeret: cum tamen ei præceperis solum, nè comederet. Sed quia non amabat unum solum præceptum, E contrario David in Psalmo amplius, quàm sexcentas leges enumerat, quas populo Israeli-

Q99 3

tico

tico dederas, & unum vocat: *quomodo dilexi legem tuam*. Pl. 118. 97. stella de amore Dei Medit. 48.

Si quis diligit me, sermonem meum servabit. Joan. 14. 23. Cum verò de illo, qui non diligit, loquitur, ait: *qui non diligit me, sermones meos non servat.* v. 24. Cur hoc? ei, qui diligit, tota lex unum verbum videtur & unum tantum præceptum. Hæc est amoris proprietas; facere omnia suavia. Unde Plal. 98. 7. de Moyse, & Aaron: *custodiebant testimonia ejus, & præceptum, quod dedit illis.* Et David de seipso: *quomodo dilexi legem tuam Domine.* Sexcenta tredecim præcepta, secundum Galatinum, unum præceptum appellat. Sancti etiam Prophetæ, quæcunque à Deo eis præcipiebantur, unicum verbum vocabant; ut in principio visionum patet: *factum est verbum Domini* &c. Diez. conc. 1. die Pent.

Primum quidem sermonem. Act. 1. 1. Græc. *Verbum*. Non dicit Lucas Evangelium, sed *sermonem*; nam amanti Deum omnia præcepta, dogmata, ob amoris magnitudinem, videntur pauca, unum, breve. Sylveira hic.

Per multa diligens unum, quamvis multa perficiat; propter unum, & diversa in juncta reputat unum; Et diversos præceptores, quæ Dei sunt, præcipientes, existimat Dominum unum; & omnia reducit in unum; & passiones in numeras unam reputat propter unum; desideria coærvat in unum: præcepta decem, aut duo, reducit in unum. Quia obedire solum dicit suam esse officium in unum: quia una est cum uno, ut in æternum fruatur uno. Sim. Cals. 1. 4. c. 1.

§. IV.

Præcepta Dei omnibus præfer.

Ex Veteri.

UNum offeretis mane, & alterum ad vespertinum &c. Num. 28. 4. Præcepit Deus, nè cui voluntarium sacrificium, ante matutinum, & vespertinum sacrificium, liceret offerre: hæc enim sub præcepto offerenda erant. Diez. Dom. in ram.

In via testimoniorum tuorum delectatus sum, sicut in omnibus divitiis. Pl. 11. 8. Id est delectatus sum ambulare in via testimoniorum tuorum; sicut delectantur avari in copia divitiarum. Magnus sanè affectus, & rarus apud homines: cum è contrario soleant plerique pro teneri lucro contemnere omnia mandata Dei. Bellarminus hic.

Desiderabilia super aurum &c. Pl. 18. 11. Quàm longè remota est hæc veritas à sensu carnalium hominum, quotusquisque carnalium est, qui pro parvo lucro, vel exigua delectatione, non contemnat omnia divina præcepta? Et tamen verissimum est; utiliorem, & jucundior, esse legis observationem omnibus thesauris, atque omnī voluptate. Bellarminus hic.

Benedicam Dominum in omni tempore. Pl. 33. 2. Plures re pauperes, divites verò, ac ava-

ri sunt animò; quos non egestas servat, sed animus condemnat. Non enim, qui omnino eget, beatus; sed qui omnibus orbis thesauris Dei mandatum præfert, ac potius existimat. S. Basilus hic.

Ex Novo.

Tollite jugum meum super vos. Matth. 11. 29. non subitis vos, nec juxta vos; sed *super vos*, suscipite Evangelium: non despiciendo, non æstimando, tanquam legem humanam; sed ut rem divinam, superiorem omnibus vobis. Cajetanus hic.

Et adduxerunt asinam. Matth. 21. 7. Prius Domini præceptum impleverunt, deinde etiam plura alia fecerunt, jumenta palliis suis exornantes &c. Prius ea, quæ sub præcepta facere tenemur, diligenter exequamur; postea verò alia opera bona ex voluntate nostra. Diez. Dom. in ram.

Herodes metuebat Joannem. Marci 6. 20. Quid conferebat Herodi, quòd multa faciebat auditò Joanne; cum de quo ab eo arguebatur, non recedebat; bona quæ faciebat. Nemo sibi de bonis operibus blandiatur, si ad prohibita sponte prolabitur. Sim. Cals. 1. 3. c. 3.

Cum transisset sabbatum. Marci 16. 1. Pro illo tempore observatio Sabbathi erat ex præcepto; ungere corpus, devotionis opus; & sanctæ mulieres præceptum præferunt devotioni. Sylveira hic.

Ut circumcideretur puer. Luc. 2. 21. Unigenitum Filium suum misit æternus Pater legi subiectum, ut legem commendaret & honoraret: nos docens, quanti æstimanda sint mandata Dei. Stella hic.

Neminem per viam salutaveritis. Luc. 10. 4. Non salutationis officium, affectur; sed obstaculum impedienda devotionis aboletur: ut, quando divina mandantur, paulisper sequeantur humana. Pulchra est salutatio; sed eò pulchrior, quò maturior, executio divinatorum; quæ per moram sæpe traxit offensam. S. Ambrosius. 1. 7. hic.

§. V.

Præceptum Dei utilis observatio.

Num. 1.

In genere.

EGredere. Gen. 12. 1. Hebr. *Vade tibi de terra tua.* Lyran. & Cajet. significatur, quòd ad ipsius Abrahamæ utilitatem præcipitur egressus de terra sua. Nihil Deus jubet, quod sibi prosit; sed illi, cui jubet: ideo verus est Dominus, qui servò non indiget, & quò servus indiget. Did. Nils. Vit. Abr. 1. 1. c. 4.

Pax multa diligentibus legem tuam. Pl. 118. 165. Qui divinò amore flrant, & pacem cum ipso per observantiam mandatorum possident; licet ab hominibus bellò petantur, placidam transigunt vitam. B. Theodoretus hic.

Accipite disciplinam per sermones meos, & proderit vobis. Sap. 6. 27.

Ut describeretur universus orbis. Luc. 2. 1. Hoc DEUS Pater omnipotens, apud potens,